

IN NOMINE JESU !!

DISSERTATIONEM

De,

NECESSITATIS  
FAVORE,

Ex Suffragio Amplissimi ordi-  
nis Philosophici,

*in Regia inlitaq; Finnonum ad Aaram  
Academia,*

MODERANTE,  
CELEBERRIMO VIRO,

DN. M. TORSTANO  
RUDEEN,

Poëteos Profess: Ordinario.

*Pro honore jureque Magisterii,*

Publico Eruditorum examini sistit

HERMAN ROSS, O-Bothn.

*Ad diem 22 Novembris, Anni M. DC. XGIV.*

ABO Æ,

---

Impr. apud Jo. WALLIUM.

*Handwritten signature in brown ink at the bottom of the page.*

SACRÆ REGIÆ MAJESTAT

*Magna Fidei Viro,*

Illustrissimo Generosissimoque

DOMINO ac BARONI,

DN. JOHANN

*S*hrnstiölds/

Bothniæ Orientalis, ac

jacentis pariter Cajaniæ & Lap

marchiæ DYNASTÆ Am-

plissimo.

MÆCENATI SUMMO!

# GENEROSISSIME DOMINE!



Atas audaciæ excusandæ

*Illustrissime Domine* arcesse-  
rem rationes, quarum in-  
tuitu, ignotus eqvidem,

hasce sustinuerim *Illustrissimo Nomini*,  
nuncupare pagellas, nisi pro me *Excel-*  
*lentie Tue*, in literarum sectatores eas  
allegaret favor vere gloriosus. Ratio  
namque perpetuæ est famæ, quod non  
modo *Literatorum Illustrium* *Illustre*  
fis fidus decusque; sed & dum eos, qui  
ingenuis dant operam artibus, rariori  
planeque singulari prosequaris ac ex-  
cipias amore. His ego quidem expo-  
nendis impar, non potui non quin bo-  
ni publici præclarum *Te* venerarer in-  
strumentum. Summas in adfectu par-  
tes jure sibi usurpat terra quæ genuit,

ut secundum naturam fit de illius gaude-  
re incolumitate ; consecutam procul  
dubio quis dixerit, dum res gerendæ,  
perspicaci prudentia ac consilio perfici-  
untur, ab eis qui sublimioribus admo-  
ventur negotiis. ii, quicquid intra no-  
bile pectus benignior recondidit natu-  
ra, eo referre satagunt, quo reipubli-  
cæ suus stet honos, sua gloria, civibus  
exoptata salus, quorum & usibus con-  
sulere Numinis indulgentia per hæc  
seculi ornamenta dignata est. Quæ  
in Regem Clementissimum summa, *Il-  
lustrissime Domine*, Tua fides, quis in pa-  
triam pius amor, quæ in obsequentes  
facilis benevolentia, condigno fateor  
me non posse assequi elogio. Natali  
jam solum gratulor solo, tam pruden-  
tem, tamque cordatum ac bene publico  
cupientem Toparcham ac Dominum ;  
Anxia *Generosissime Domine* si vel  
mihi fluctuet mens, *Gratiosissimi tamen  
Domini* irradiari expetivit diviniore ju-  
bare, dum humilima animi subiectio-  
ne favorem tanti Mæcenatis subierit.  
Quod ego venerationis submissæ, humi-  
li-

limum jam offero pignus atq; depono,  
digneris serena respicere fronte. Cæ-  
lestis proporro favor, qui Te *Illustrissime*  
*Domine* hisce sublimoribus destinavit cu-  
ris, dignetur non modo vires corporis  
ac animi eis suffecturas ex gratia lar-  
giri, quo *Sacratissimi Regis* (cujus impe-  
rium florentissimum perennare Regum  
jubeat Rex) commoda ac reipublicæ  
promoveas; sed & consilii, sapientiæ ac  
Timoris sui Te beare spiritu, quo sanctif-  
simæ illius gloriæ promotioni invigi-  
lans, virtutis conscientia læta hinc in  
cælestia transmigres cælitum consortia!  
cecu vovet


**ILLUSTRISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ**

*Humilimus estimator*

HERMAN ROSS.

I. RUDEEN

## THESIS I.


 lienum ab instituto nobis haud esse videbatur, paucissimis, quæ ad inscriptionis vergere sensimus illustrationem, significare: præprimis ut dispalescat, quam hic *Necessitatem* volumus intellectam: ubi & mox non semper proficuum disquirendi genus censemus, per plurimas hic, hujusce coacervare, Vocabuli acceptiones, quas, cui adeo volupe, apud Scholasticos vel cum tædio, offendere licebit. Potiores nos, Jurisqve universalis Doctoribus frequentatas, annotabimus. Quarum est distinctio *Necessitatis in simplicem seu absolutam*; quæ neque mutari neque leniri potest: & *necessitatem cum adjunctione*. Prioris seu absolutæ, nullus fere in hocce civili genere est usus. Posterior, quæ & aliquando *ne-necessitas finis* audit, subdividi in *honestatis, incolumitatis, & commoditatis* sivevit. Quarum summa honestatis videtur, huic proxima Incolumitatis: tertia pariter ac

ac levissima commoditatis, quæ cum his unquam poterit duabus contendere. *Honestatis* illa, ex lege resultat, necesse est enim ea quæ lex jubet, facere nec non, omittere quæ vetat. Altera seu incolumitatis, radices egit altiores ac primo quis deprehendere intuitu posset, in tenerrimo isto adfectu ac innata propensione, qua in sui suorumque conservationem defensionemque, animal illud rationale ac sociale fertur. De hacce potissima nostra erit cura, in quantum aliquando contingat hanc cum illa *Honestatis* collidi quasi; quo casu tradunt factum non tam præscriptione juris ac directâ via defendi quam per humanæ infirmitatis vocabula veniæ, miserationis ac clementiæ excusari ac regi. De quibus singulis dispiciendum ulterius.

## THESIS II.

**O**ptimus ac sapientissimus mortalium creator DEUS, cum hominem opus manuum suarum præcellentissimum, condiderit, sociabilem, inter cæteras, qui-

quibus eum insignire placuit dotibus,  
 studio suæ conservationis munire voluit;  
 Quo interiori quodam quasi sensu se  
 apprehendit imbutum atque obligatum,  
 non modo quæ culturam donorum pe-  
 nes se in societatis commodum depo-  
 sitorum, ne ea inculta abire patiatur;  
 quo nomine pariter fugienda sibi ratio-  
 cinatur intemperantiæ ac incontinen-  
 tiæ affectus, qui compagis structuram  
 ac vigorem deturbare satis validi sunt;  
 sed & nitendo in ea quæ naturæ con-  
 servationi interviunt, si, quæ ejusdem  
 moliuntur destructionem, sese offerant,  
 summo ea non velit non amoliri nisu;  
 quin eo usque hæcce *Φιλαντία* prove-  
 hitur, ut, vel depulsis noxiis sibi inten-  
 tatis, adhuc tamen odium sævum il-  
 lud resideat malorum, in aggressoris  
 personam; quas, vel exinde reliquerit  
 suæ conservationis in animis radices,  
**DEUS**, aliquatenus patescit,

THES.



THESIS III.

**Q**uoniam vero inter eximia DEI dona maxime chara est vita, eaque non semel injuriis, quibus humana nostra conditio vivit obnoxia exponitur; evenire potest *incolumitatis* nostræ cum *moralis seu honestatis necessitate* collidi, ut suboriri dubium queat, utra alteri præferenda: si ego nullâ meâ culpâ in eas devenirem angustias, an possem tunc in vetita lege ferri, aut quæ præcepta sunt ommittere, si alia salutis meæ expediendæ ratio non supersit? quoniam vero in jure naturali, interdum etiam pro status ratione in civilibus, quædam *absolute & simpliciter* vel vitæ cum dispendio, quædam *sub certis conditionibus & circumstantiis* præcepta & prohibita intelliguntur, eoque non nisi distincte casus dirimi potest. Scilicet cum leges sint vel divinæ eaque vel naturales vel positivæ, vel humanæ, sic diversimode & obligare solent ac debent. Nullum esse dubium quin *incolumitatis necessitas* ob-  
liga

ligationi juris præferatur humani; cum  
 de Imperantium civilium statutis neces-  
 sario liceat præsumi, eorum sanctione  
 commoda ac subditorum salutem debe-  
 re promoveri, adeoque non potuisse  
 non qui ea condebant statuta, respice-  
 re humanæ conditionis teneritatem qua  
 naturaliter ea refugit ac amolitur de-  
 structionem; hinc exceptione necessitatis  
 nisi expresse aliter cautum, ejusmodi ca-  
 sus voluisse temperatos; scilicet non im-  
 positam esse civibus obligationem suæ  
 legis, cum observationem illius comi-  
 taturum esset malum ingens, huma-  
 nam destruens naturam; aut quidpiam  
 communi animi constantiâ superius.  
 Si vero expressis appendatur literis,  
 vel alias ex negotii natura poterit quis  
 præsumere de legislatoris voluntate,  
 mortem utpote potius subeundam,  
 quam legis neglectu incolumitati con-  
 sulere, præfertur lex. Ut si persona  
 publica, a cujus vitæ jactura & Rei-  
 publicæ dependet salus periclitaretur;  
 nec possit servari nisi quis civium *pro-*  
*babili*



cia nostra erga DEUM partim præceptis contineantur *affirmativis* seu *edictis*, partim negativis seu *interdictis*, sic & illis annexa obligatio varia est. Prioris generis obligant *semper* sed non *ad semper* uti amant loqui, hoc est affirmativorum ea est ratio, ut antequam obligatio ferri possit illorum, necessario penes me præsupponenda erit facultas perficiendi, occasio atque materia, quæ requisita ubi, regulariter in me non sunt, vel ut essent penes me non fuit, illa nec omissio mihi imputabitur. Exempli loco tertium præceptum legis moralis adhiberi potest, quod utique inter affirmativa habetur, de sanctificatione scilicet sabbati; certe extra omne dubium esset, me, si gravissimo conflictarer morbo, vel aliis probe necessariis detinerer, ut sacris interesse non liceret, non incurrisse in crimen profanationis diei tam sanctè alias servandæ. Hinc dextre non egerunt Judæi, quod a defensione sui eo die abstinuerint in antris interfecti, ut habet Macha-

chabæorum liber. Pariter officio quodam  
 humanitatis ac vigore legis divinæ te-  
 neor proximo indigenti succurrere, aut  
 mihi ipsimet si curta fuerit suppellex,  
 reor illud Pauli 2 Cor. 13, sic dandum ne  
 fimus ἀλλὰ οὐ ἀνεσις, ὅμῳ δὲ Πλιψίς, ἀλλ' ἐξ  
 ἰσότητος, valebit; ut & Senecæ illud: *dabo*  
*egenti, sed ut ipse non egeam, succurram per-*  
*rituro, sed ut ipse non peream.* Negati-  
 vorum vero præceptorum rationem  
 quod attinet; cum ea ejusmodi vetent,  
 quorū commissionem directè Numinis  
 sequitur violatio ac offensio, adparet  
*ea semper & pro semper* obligare; quem-  
 admodum cum in persecutionibus of-  
 ferri solet duarum rerum optio, mortis  
 malum vel Numinis summi abnegatio  
 cum detestanda conditoris blasphemia  
 connexa; necessitati nil deferendum es-  
 se, adeoque ejusmodi actus nulla ratio-  
 ne suscipi possunt. Nam ut ratio teneri-  
 mum mihi vitæ insinuet affectum, mor-  
 is pariter sistat sese truculenta facies,  
 interim penes me residet ut irrefra-  
 gabile quid, hunc dominum qui hæc  
 in-

junxit, in cujus obsequium jam immin-  
 nentia suffero fata, posse imo & pa-  
 ratum longe majori malo memet mul-  
 ctare ac mors est naturalis, si ego illi-  
 us nominis renunciatione mortis susti-  
 nerem declinare malum. Quin & sub-  
 ministrari possit aliqua ratio, qua de lon-  
 ge nobiliori modo ac via pensandi hoc  
 quicquid est dispendii, possem sic qua-  
 dantenus polliceri mihi a factorum mo-  
 deratore DEO summo. Quem in mo-  
 dum scite Carpyllides ratiocinatus est:  
*deperit justis gratia nulla viris.* Quoad  
 officia demum quibus mortales sibi  
 devinciuntur invicem, ex lege resul-  
 tantia, etiam qua ea incolumitatis  
 habenda est ratio. Interim id præprimis  
 notamus ceu observatione dignum, in  
 casibus fere omnibus, ubi incolumita-  
 tis ratio præferenda est, non esse asser-  
 tionem nostram, ac si necessitatis ea ef-  
 fet efficacia, ut illius interventu di-  
 recte heic & nunc legis possit fieri vi-  
 latio; sed tantummodo præsumere lice-  
 bit in angustiis constituto, ex benevo-  
 la

la supremi legislatoris mente, qui non modo vitæ concessit auspicia, sed & molliori adfectu, quæ vitæ conservacionem, prospexit, hunc vel illum casum sub generaliter præceptis non contineri.

THESIS V.

Speciales hisce sequentibus pagellis necessitatis dabimus casus. Indomita vacui ventris vis non semel cibum fecit quem alias abhorret natura, quod non modo canum, equorum, felium est sedata, sed & his deficientibus humana ad usum rapere coegit corpora, de quo quid pronunciandum nisi, *miserandum* id equidem esse cibi genus, invicta tamen necessitate non *nefarium*. Tristiora sunt quæ non modo Profani scriptores sed & sacer reliquit codex necessitatis documenta, dum juxta comminationem Deut. 28. v. 53 expressam, ad obsidionem Samariæ, matris cujusdam inseruntur querulæ voces, consumentis in angustia uteri fructum sui cum vicina: *Coximus ergo filium meum*

&

Et comedimus. Sic & annales gen-  
 tis nostræ Sveogothicæ memoriæ pro-  
 dunt, quod tempore regis Uffonis eo  
 calamitas adegerit Danos Sveciæ tum  
 incubantes, ut sorte lectus decimusquis-  
 que jugulatus fuerit. His accenseri  
 solent septemilli Britanni, quibus vastissi-  
 mo in mari cum tempestatum inclemen-  
 tia conflictari contigit, quousque ulti-  
 ma victi necessitate, fortis rem com-  
 miserint periculo, idque unius nautæ  
 vitæ jactura, cujus deinceps sanguine,  
 invero sane potus genere, intolerabilem  
 restinxere sitim, carnibus vero indomi-  
 tæ consuluerunt fami, quos tamen ju-  
 dex postquam in terram appulerunt  
 homicidii non affecit pœna. Suam  
 de hocce plane miserabili casu Zeigler.  
 apponit censuram, in eo maxime pec-  
 catum a navigantibus censens, quod  
 non modo in unius, verum quisque in  
 propriam, si ita cecidisset fors, con-  
 senserit necem, periculum animæ sic  
 anteponentes corporis. Etiam eo a-  
 bere



berratum putat, quod vitam a deo fecerint parvi ut ejus jactura famem explerent. Nec reliquos ea de causa in focium sævire debuisse, quo stomacho consulerent. Examinat vero hujusce viri judicium nobiliss. Puffendorf, non posse existimans *nisi nimis asperere hunc vel illum in mortem alterius conspirasse insimulari, qvi sorte ducendum censent unum, ut reliqui serventur, qvi omnes simul alias misere fuissent perituri. quem & processum ad Jonæ in mare præcipitationem notat. Unde nec animæ hic fuisse metuendum periculum. Is vili pendet animam qvi extra necessitatem eam projecit. Nec sævitia dicenda, ubi in salutem omnium qvi moritur, minori cum dolore ferrum jugulo excipit quã alter infigit. hætenus ille. Et ut sunt ejusmodi casus rariores, o utinã rarissimi! sic aliorũ potius in re tã ardua audire judicia malumus, quã temerario ausu certi quiddeterminare, quod & ne vix quidem satis sagaci adparebit; quippe ab una parte homicidii terret atrocitas, ab altera famis premit sævitia, quin & citra isthoc tristissimum me-*

medium omnibus esset pereundum, sic extrema, utut nefanda, experiri fatagunt. Et quid hi nisi miseratione excipiendi sic necessitati succumbentes?

## THEEIS VI.

Sæpius experiri fata sequentem jubent  
*Scalum: duo in præsens incidunt periculum,*  
*in quo utriqve pereundum, nisi unus quid*  
*egerit vel omiserit, unde alteri sic indirecte*  
*citius fata admoventur, alias tamen perituro,*  
 quid jam sentiendum? Utique tali in casu salutis meæ prospicere licebit, etsi alteri mors vel magna inde accidere possit læsio, ratio evidens, quod meæ, incolumitatis necessitas officio præponderet erga alios præstando. Et eo ipso quo abs me in studio conservationis meæ, sine nocendi animo, alteri quid obvenit, non directe id ei intulisse censendus sum; quippe ego quavis alia ratione salutis meæ periclitanti voluissem consultum; quod vero ex isto suscepto actu in mei conservationem ea noxa evenerit, ut fatale quoddam. alteri id exipere ac æstimare  
 cla:

debet malum. Exemplis declaratur deductionis evidentia. Duo Socii in profundas si incidissent aquas, unus horum nandi peritus alter imperitus, hic vero alterum complexus teneret, ei vero eæ nec superessent vires, quibus una eluctari possent; nemo sana ratione criminis eum quis insimularet, si omni quo posset conatu anniteretur, hunc abs se amoliri, quo cum alias eum iri suffocatum est præsentissimum, adeo utrique milere pereundum. Pariter in naufragio: Si ego tabulam, duorum non capacem præoccupavero, alter adnatando se injiciens, una me secum esset perditurus; annon hunc amovere liceret? Etenim teneor memet conservare. Duobus in bello fuga salutem quærentibus, hoste e vestigio in sequente, ita ut utrique illorum spes incolumitatis non maneat, quo evadant, poterit alter vel ponte rescisso vel porta occlusa Urbis, semet servare, etsi alter in præsentiliquatur vitæ jactura. Tantus enim est favor salutis meæ. Freqvens

& hic est casus, quo fugam capeffenti  
 fortior quis insequitur, mortem ei in-  
 tentaturus, occurrens humaniter ad-  
 monitus, cedere recusat, ut vel petulanter  
 sese gerendo obsistat, quid adversus  
 morosum licebit? Utrique eum de jice-  
 re ejusque læsione fugam persequi.  
 Nam etsi conservatione mei alio quovis  
 tutiori exoptassem defungi modo, quin  
 & læsionem quantum penes me erat  
 temperare; interim tamen cum ne-  
 cessitas pariter ac consternatio hocce  
 ut extremum extorserit medium, unde  
 alteri *probabiliter* quid noxæ illatum, vi-  
 deor nil ultra intendisse quam mea  
 exegit salus. Si vero occurrens ne-  
 queat, utpote claudus vel mente alias  
 non integra, aut si temporis locive an-  
 gustia non permiserit viâ decedere vel  
 loco, tum *qui saltum per eundem* molitur  
 potius quam moras nectendo corpus  
 hosti præbet excusationem pariter &  
 commiserationem merebitur: nam a-  
 mor ille cujus libet erga seipsum *regu-  
 lariter tam validus est, ut quævis inclinatio*  
*erga*

quemvis alium hominem, ipse cedere necessum habeat, quemadmodum & perspicacissimus ille Spiritus apud Jobum cap. 2. argumentando: *Pellem pro pelle & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua,* communem hominum naturam acute expressisse videtur.

#### THESIS VII.

**N**on adeo in proclivi penes eruditos est definire, *num & qua ratione* Domini rigor exceptione temperetur Necessitatis. Nimis crude rem ii proponunt qui quæerunt: *an liceat furari propter necessitatem.* Cautius vero sic & clarius: Si quis nulla sua culpa in eam victus & amictus deveniret extremam inopiam, quo nec a locupletioribus, quibus suis quæritis pro more est incubare, vel precibus, vel oblato pretio vel exhibita opera, extorquere possit; Vel ne hic pro impossibili habeatur casu consideretur: Si quis è vastissimo mari tabula in aliquam conjectus insulam, habitatoribus tum vacuum, illic vero tabernam, necessariis fami expellenda

lendæ invictæ, alimentis refertam atq̃  
 instructam reperiret; dictante jam ne-  
 cessitate aut fame miserè pereundum  
 aut de præsentis, utut alienis, inops de-  
 fendenda vita; An necessitas hic fru-  
 entis re aliena excuset a furto? ab  
 una parte nequit evelli vel expelli stu-  
 dium & amor conservationis meæ, qui  
 adeo infixas egit radices, ut superva-  
 cuum sit aliquam hic comminisci obli-  
 gationem.. Ab altera parte contra-  
 ctio alieni inhibita stringere videtur.  
 Adeoq̃ scissas hic invenire licebit opi-  
 niones. Res suis debetur primordiis.  
 Eam corporis nostri experimur con-  
 ditionem ut nisi quibusdam extrinsecus  
 partis in alimentum ac tegumentum  
 liceat sese munire, nequeat qua compa-  
 gis servari nexum, verum solvatur ne-  
 cessario. Adeoq̃ O.M. conditor, cui absq̃  
 dubio summum & eminens in creaturas  
 debetur dominium, cum ejus sufficien-  
 tissima intelligatur natura atque nullius  
 rei extra se indiga; *binc sua ipsum bonitas*  
*facilem esse subegit, ut creaturæ suæ præ-*  
 stan-

stantissimæ homini, in sui usum hisce  
frui benignè concederet; ut vero hæc  
sic paterne indulta facultas in respectu  
ad ceteros vim exsereret mortales, ne-  
cessario pactum ac institutum quoddam  
super venisse humanum, admittendum  
est, cum ex concessione illa mortalibus  
tantummodo de indulgentia Numinis,  
qua usum rerum creatarum præsu-  
mere licuit; interea tamen ut divini-  
tus collata facultas in vita effectum  
obtineret, atq; sic disponderetur, ne usu  
hujus juris litium ac discordiarum præ-  
beretur materia, id rationis sanæ sin-  
cero judicio determinandum reliquit.  
Hinc nullam oppositionis veræ in hisce  
propositionibus reperies speciem: *ali-  
quid divina voluntate dicere constitutum, &  
ut actu id foret introductum conventionem  
humanam antegressam.* Unde eis, qui o-  
riginem Domini & proprietatis in juris  
naturæ propriè sic dicti quoddam prin-  
cipium, mentibusque a natura in scri-  
ptum refundi contendunt, adeo ob-  
strepere animus non est. Sano sensu  
quippe

quippe concedi eis potest. Scilicet cum non possit non vel saltem aliquod juris naturæ fundamen prætendi ac haberi in natura hominis rationali ac sociali; hinc quod revera sequitur, ratio, considerata humani ingenii natura, (vadeere visa est, post multiplicationem mortalium, quorum non modo infinita inclinationum & studiorum diversitas, sed & cum quilibet in societate artium variarum inventionem, adeoque propria industria sibi non nihil rei familiaris parere studeret, ad ordinem non modo & decorem in genere humano obtinendum, sed & societatis durabilem ac felicem conservationem necessario distincta rerum dominia debuisse introduci, prout pax mortalium requisivit. Ut adeo lex de abstinentia alieni sit humano generi coæva: constitutio, vero proprietatis deinceps introducta, quo facto & hæc lex obligare cœpit.



THESES VIII.

**E**o tamen deductionis nondum devia-  
 vit ratio ac si proposita quæstio  
 sensu expediretur Grotiano, qui homi-  
 nes dominia introducentes in hancce  
 quasi limitationem consensisse existi-  
 mat, ac si vis dominiū eo in necessita-  
 tis casu, ubi alter citra earundem usum  
 servari nequeat, expirare debeat, ac  
 pristinum sic jus utendi rebus revivi-  
 scere. Nam si sic liceret pleno jure  
 afferere res tanquam in medio expo-  
 sitas, certe non adparet quidquam cau-  
 sæ vel impedimenti moralis, quo mi-  
 nus alter si viribus prævaluerit, etiam  
 possessori pari necessitate presso, non  
 possit subducere idque sine restitutio-  
 nis oblatione. Verum potiori favore  
 deducitur, constitutionem proprietatis  
 eo fine non esse introductam ac si o-  
 mnia humanitatis invicem præstandæ  
 officia, omnis liberalis ac socialis com-  
 municatio expirare debuerit; Verum  
 ut quis eo liberiori ac promptiori ausu  
 circa suorum vel usum vel distributio-  
 nem

nem possit defungi proprio arbitrio; quin ob communem hominum cum hominibus necessitudinem tenetur quis alterius quantum sine suo possit damno sublevare necessitates, adeoque ad id jure *imperfecto humanitatis* stringi, quod si non præstiterit, directe quidem cogi nequit, mihi tantum de ejus feritate, duritia ac inhumanitate conqueri licet, at casu superveniente extremæ necessitatis videtur perfectum quasi jus mihi nasci. Præterea cum incolumitatis meæ necessitas præponderet officio erga alios, & id posse elici, quod lex naturæ de non lædendis alienis (in qua fundamentum proprietatis radicatur) eousque non obliget, ut ego potius lædar. Nec nimis confidenter *contractatio rei alienæ*, cum utdictum, minus plena incumbat obligatio possessori, plenior superaddat casus. adeoque non statuimus per alterius necessitatem directè jus Domini in rem exspirasse, sed sponte eum debuissè periclitanti, vel gratis vel alia  
 acce-

accepta pensatione, concedere. Neque præsumere licet *id inuito domino* factum, præsertim cui lautior fortuna, & si fiat id sub conditione restitutionis. Nam præsumitur is aliqualem inter vitæ adeo caræ, tenerrimo pariter adfectu implantatæ irreparabilem amissionem, ac rei illi recompensandæ contrectationem, posse instituere compensationem. Nec non concluderem, quod *sibi* jam possessor non *vellet fieri* ab alio, si hic esset nec mihi existimo jam eum, ob intercedens debitum, naturæ ac fraternæ charitatis velle imponere. Si vero quis humanitatis neglexerit officia, an mihi ideo quia is in me inhumanus est, sit pereundum? Esto ille potius nomine omineque durus, interea ego memet studebo conservare. Ad ea quæ sic inter se conferuntur ingeniosissimi Politici Bœcleri appendimus judicium: *Si ita dicas, furtum non committi ab eo qui in necessitate aliena surviviat, quatenus furti in plena perfectaque vitiositate invidiam ad mitiora vocabula*

D

trans

transferri ratio est, non sis culpandus: at  
 jus verum & plenum in facinore agnoscere  
 & dicere quod ita aliena surripiens, suo ju-  
 re usus sit: imo addere quod dominum rei  
 se impedire volentem, servato moderamine  
 tutela, occidere possit, id periculosam sapit  
 Philosophiam. Si possessor in eandem  
 devolutus sit necessitatem, non tenetur  
 ille per humanitatis legem perire ut  
 servetur alter, quin melior est causa suum  
 non tradentis quam poscentis alienum Curt.  
 lib 4. cap 1.

#### THESIS IX.

Sub certis ac sive inque naturalia  
 equitate fundatis restrictionibus, vide-  
 tur & necessitas circa res nostras versans,  
 penam alienae vel perdendi vel invadendi  
 indulgere; scilicet ut istud citra nostram  
 extiterit culpam periculum, in quo res  
 jam versatur, nec commodiori via pos-  
 sit dispelli. 2. ne res proximi perda-  
 mus pretiosiores pro re servanda no-  
 stra ignobiliore ut ejus praestemus æ-  
 stimationem, si alias alterius peritura  
 non esset, adeoque in partem damni  
 veni-

veniemus, cum sua jactura nostram  
 serva verit. Quæ limitationes casu ex-  
 orti incendii aut passi naufragii mer-  
 ciumque ejectione illustrari a quovis  
 possunt, quæ brevitatis ratio vetat pro-  
 lixius deducere. Disquiritur quousque  
 potestas parentum generatione nata,  
 possit in casu necessitatis extendi? re-  
 gulariter tanta est quanta ad educa-  
 tionem requiritur, quod vero, possit  
 proles sub jure retractus in tolerabilem  
 servitutem potius divendi quam ut ino-  
 pia victus extingvatur facile mihi per-  
 svadeo; cum & ad versæ sententiæ  
 patroni, nil minus quam contrarium  
 probent.

#### THESIS X.

**B**reviter & hunc significamus *de pudici-  
 titiæ favore casum.* Homo illibatæ pu-  
 dicitæ, omnibus tentatis modis, quibus  
 injuria repelli possit, illatam tamen a-  
 liter nequeat deflectere vim, nisi læsi-  
 one aggressoris usque ad necem, lice-  
 at ne id persequi? equidem honestæ  
 sceminae pudicitia vi expugnata, irre-  
 para.

parabile censetur damnum, quæ lexus etiam præprimis seqvioris decus habetur maximum, id jam immitissimi corruptoris prostituere crudelitati nimis quam erit castæ menti durum, cum liceat præsumere hic vim vi posse repelli. verum cum sese mere passive ea habeat, nequit moraliter pro deflorari haberi, & quod dolendum hic, non potest ille defensionis actus, quæ aggressorem sine animæ dispendio suscipi, idque ne tamen cuiquam nimis laxa obrepat conscientia, nihil sustineo determinare. videatur Kœnig in cas. p904 qui affirmativam rationibus per plurimis adstruit. Quo æquum sit mihi super hæc penes lectorem iudicium, hicce impono dissertatiunculæ finem, verbis:

*Si quid hic pietati, si quid bonis moribus  
 si quid ulli de ritati dissentaneum a me  
 dictum est, id nec dictum  
 esto.*

**SIT GLORIA TIBI SANCTISSIME JESU!**